

losophum, cum quae|reretur ex eo quid adsequerentur 124
eius discipuli, respondisse ut id sua sponte facerent
quod cogerentur facere legibus. ergo ille, civis qui id
cogit omnis imperio legumque poena, quod vix paucis
persuadere oratione philosophi possunt, etiam iis qui 5
illa disputant ipsis est praeferendus doctoribus. quae
est enim istorum oratio tam exquisita, quae sit ante-
ponenda bene constitutae civitati publico iure et mori-
bus? equidem | quem ad modum 'urbes magnas atque 125
inperiosas', ut appellat Ennius, viculis et castellis 10
praeferendas puto, sic eos qui his urbibus consilio at-
que auctoritate praesunt, iis qui omnis negotii publici
expertes sint, longe duco sapientia ipsa esse antepo-
nendos. et quoniam maxime rapimur ad opes augendas
generis humani, studemusque nostris consiliis et labo- 15
ribus tutiorem et opulentiorem vitam hominum red-
dere, et ad hanc | voluptatem ipsius naturae stimulis 126
incitamur, teneamus eum cursum qui semper fuit opti-
mi cuiusque, neque ea signa audiamus quae receptui
canunt, ut eos etiam revocent qui iam processerint. 20

3 His rationibus tam certis tamque inlustribus oppo-
4 nuntur ab iis qui contra disputant primum labores qui
sint re publica defendenda sustinendi, leve sane inpe-
dimentum vigilantibus et industriis, neque solum | in tantis 91
rebus sed etiam in mediocribus vel studiis vel officiis 25